

PETRI RAMI SCHOLA-
 RUM MATHEMATICARVM
 LIBER XXX. IN XIII. LIB.

elementorum.

Libri duo reliqui, ut nescio qui in titulis librorum ignari librarii dubitant, non sunt Euclidis, sed ex Apollonio per Hypsiclem descripti, ut epistola declarat. Euclides comparationem quinque Pythagorearum figurarum instituit, rationemque laterum docuit in tribus primis cum diametro sphaerae. Latera verò icosaedri & dodecaedri *ἀλογα* esse demonstravit, nihil præterea, quod idem cum plerisque aliis à veteribus mathematicis traditum fuerat, ab Aristæo præsertim, quem Pappus Euclide facit antiquiorem, sexque librorum de solidis auctorem memorat initio lib. 7, & certè Aristæus nominatim in his postremis libris appellatur: sed res Euclidi fortasse visa est imperfectior aut alienior, ut hinc constet duobus his libris institui doctrinam non modò non euclideam, sed Euclidi ipsi improbatam. Susceperat igitur Apollonius nobilis geometra, cujusque hodie è multis monumentis supersunt quatuor libri de conicis icosaedri & dodecaedri, comparationem uberius explicandam, libroque primum edito non satisfecerat, ideoque emendatus à Basilide & Hypsiclis patre accuratius eam quaestionem rescripserat, unde subducta est ab Hypsicle materia decimi quarti & decimi quinti libri. Decimi quarti libri materia est in quintuplici ratione, ut superficies dodecaedri ad superficiem icosaedri, sic oblongum è perpendiculari & latere dodecaedri ad oblongum perpendiculari & latere icosaedri. Hæc prima est è duabus rationibus proportio tractata ad 2 p 14. deinde ut oblonga inter se, sic latus cubi, ad latus icosaedri, quod comprehenditur 4 p 14 magis quam præcipuè demonstratur. Hæc secunda est proportio è secunda ratione & tertia. Tertio, ut latera hæc inter se, sic recta potens sectam proportionaliter & majus segmentum ad rectam quæ possit eandem & minus segmentum. Hæc tertia est proportio è tertia & quarta ratione. Quartò, ut latera eadem, sic dodecahedrum ad icosahedrum. Hæc quarta est proportio è tertia & quinta ratione, tractata tandem in scholio. Hæc (inquam) materies est decimi quarti libri in quatuor propositiones numero digesta, quæ re ipsa sunt undecim, uti demonstrabo, & tamen propositiones ferè geometricæ, non stereometricæ. At enim ut planius sit quod exposui hæc ab Euclide rejecta ac repudiata esse, operæpretium sit excellentium ingeniorum logicis habenis solutorum motus vagos & errantes intueri. Apollonius geometra magnus appellatus est, ut antea dixi, & magnus revera fuit, sed magnis virtutibus magna quoque vitia affinia fuerunt. Voluit Apollonius demonstrare solem illum mathema-

QQ.9